



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

20. Dies Octobris. Cui totus orbis non sufficit, quinque terræ pedes  
sufficient. Oleaster. in caput 14. Isaiaë.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Octob.

Tessera.

833

Cur mæres afflictus, cùm tecum sit solatium affli-  
 ctorum, præsidium afflictionum? Quid times, cùm  
 illum ubique circumferas, quem timent omnes, &  
 omnia etiam quæ timentur? Cur friges, cur non ar-  
 des, cùm ille te totum occupet, qui venit ignem mit-  
 tere in terram, nec aliud vult, quam ut accendatur,  
 ut tu inde accendaris? O quam divinè dixit Divinus  
 Antonius. *Ubique possemus invenire cælum, si cor  
 nostrum esset in corde Dei.* O excors! ô vecors: de-  
 relinquit te cor tuû, quia non est in corde Dei sui. Tu  
 ergo, ut tibi benè consulas, vive Deo toti, qui se to-  
 tum tradit tibi. Idem est consilium Poëtæ:

*Vive Deo soli, quod amat caro, querere noli.*

20. DIES OCTOBRIS.

Cui totus orbis non sufficit, quinque terræ pedes  
 sufficient. *Oleaster. in capite 14. Isaia.*

Varia pro I.  
 salute sug-  
 geruntur  
 documenta.

**C**UM sensim prætervalent tem-  
 pora, antequam nos deserant,  
 varia suggero pro pace consi-  
 lia, pro salute documenta, pro  
 Virtute incitamenta. Hoc sit primum quod sug-  
 gero consilium, ut tibi sæpè objicias, contractum  
 ad quinque pedes tumulum. Sit tibi pro hodierna  
 lectione epitaphium cujusdam Regis Franciæ, ple-  
 num quidem acuminibus, sed & piis admonitioni-  
 bus, quibus omnium ambitio utinam pungatur, &  
 amor ambitionis expungatur:

*Risi, ploro. Fui, non sum. Studui, requiesco.*

*Lusi, non ludo. Cecini, nunc mutio, pavi*

*Corpus, alo vermes. Vigilavi, dormio. dixi*

*Salve, dico vale. Rapui, rapior. superavi,*

*Pars III.*

Ggg

Fin.



*Vincor. Certavi, pace utor. jure ego vixi,  
 Jure igitur morior, non obsto, obstare nequirem.  
 Terra fui quondam, rursus sum terra. nihil sum.  
 Terra caduca vale, vermes salvete, recumbo.*

II. Evigila adhæc monita, ne nostri temporis dicatis Endymion, quæ bono tuæ salutis penitus dormis, malis, quæ officiant saluti, invigilas. Augusta illa, quæ brevi clauderis, tumba, sit tibi quæ tepentem excitet tuba. Egregie pungit basilicæ viventes D. Basilus. (a) *O miser! parumper quæso ut tuo scelere respira, & tuæ conscientia recessus aliquantulum perscrutare, tecumque considera, quis rebus hujusmodi finis? Habes terra partim aratro, partim arboribus utilis tot jugera: præterea vineas, montes, campos, saltus, flumina, loca amœna. Quid ergo postulat Nonne telluris tres tantum cubiti te expectant? Nonne parvus lapis, ad tui miseri corporis custodiam, servabitur? Quid ergo gloriaris tuo corpore, quod brevi custodietur uno lapide? Oleaster tibi promittit quinque terræ pedes, Basilus tres cubitos; & adhuc superbiendo attollis animos? Sed velle mortalibus inculcare memoriam mortis, est (ut loquitur cum Picardo) (b) *litteras lutori scribere*, vel ut proverbialia loquuntur, est ovum tondere, nodumque in scyrpo quærere; ad eò enim sunt homines cæci, & amentes, ac si (c) *cerebrum in calcaneis gestarent*, ut loquitur Nicetas. Cùm enim videant quotidie per vicos, tot efferi funera, tot illis objiciantur in cimiteriis sepulchra, tot intelligant ex affinibus, cognatione sanguineis, necessariis fato occumbere, sic tamen*

(a) *Hom. in dutescent.* (b) *In notis ad ep. Bernardi.*  
 (c) *Thesau. orthodox. l. 2.*



Octob.

Tessera.

835

vitam instituunt, ac si foret immortalis; gloria, quam insectantur, esset perennis; honor, cui inhiant, esset æternus; voluptas, quam aucupantur, esset sempiterna; opes, quas cumulant, futuræ essent sine termino in omne ævum.

III. Cæterum, tanta est hominum in mundo cæcitas, & perversitas, ut hîc vivere, penè nihil sit aliud, quàm in scelera ruere. Ut verè, suis mundum insigniverit titulis, qui dixerit: (a) *Mundus, sepulchrû est mortuorum, carcer vivorum, taberna vitiosorum, tortor bonorum, oblivio præteritorum, hostis presentium, magnorum precipitium, pravorum fastigium, caupona peregrinorum, forum errorum, volutabrum malorum, & commune omnium naufragium.* Adde & istud Tullii: *Est immensa vorago, ac gurges vitiorum, turpitudinumque omnium.* Et illud Senecæ: (b) *Mundus est diversorium vitiorum.* Et illud Arnobii: (c) *Est domicilium malorum omnium.* Rectè, quia in mundo solum boni purantur, qui sunt mali, & mali sunt plurimi. Nihil his querelis ast usitatus. Heu infelicem mundum? Heu fraudulentum mundum? Heu instabilem mundum; Mundum accusamus ore, & diligimus corde: verbis detestamur, operibus amplectimur. Mundum nobis experti sumus perfidum, & tamen illi fidimus: fallacem, & illi credimus: perniciosum, & eum diligimus, fugacem, & sequimur; detestabilem, & honoramus; abjectum, & æstimamus. Totus est mendacium. Ipsa Sapiencia mundi est stultitia. Quomodo

Ggg 2

in

(a) *Guevarria Horat. Prin. l. 1. c. 17.* (b) *In Verr. 3. Epist. 51.* (c) *L. 2.*



in eo videbitur Veritas, ubi etiam ipsum lumen  
tenebræ? Totus apparatus mundi, & fundamenta  
ejus, sunt cæcitatibus instrumenta, superbia, libido, ambi-  
bitio, iracundia. Ut perinde prope sit, amare mun-  
dum, ac amare ipsum odium; quia omnia quæ sunt  
mundi, sunt digna odio; & qui mundum diligunt  
sunt Deo odio. Quid ergo verius hoc verfu?

*Hic miser est, & erit, mundi qui prospera querit.*

## 21. DIES OCTOB.

Bonus timeat ne cadat, malus conetur ut surgat.

*S. Fulgentius sermon. de S. Stephano.*

Perver- I.  
fitas mun-  
di.

**N**ihil aliud est in hoc mundo  
vivere, quam cadere, & sur-  
gere. Qui hodie surgit  
peccatis absolvitur, cras  
rum cadit, & peccatis involvitur. Hæc hora est  
filius lucis, sequenti filius tenebrarum. Iraque  
quis sit bonus, siue malus, semper illi est timor, & la-  
bor; bono, timor ne erectus cadat; malo, labor  
pro lapsus surgat. Nemo hoc mirabitur, si quis volu-  
erit facere anatomiam mundi: cujus hodie rudia tan-  
tum aspeximus lineamenta. Mundus hic malus, ni-  
hil est aliud quam vita mundo adherentium mala.  
ubi loco terræ, est Avaritia; ignis, cupiditas; aqua  
Inconstantia, aëris levitas, & stultitia; loco petri-  
orum pertinacia; florum oblectamenta; arborum  
cellarum, superbia: maris profundi, cor. Quid mi-  
tis? Sol est prosperitas, Luna continua mutabilitas.  
His affinia habet D. Cyprianus. (a) Regnum hoc mu-  
nitur vitis, ambitur flagitiis, turres ejus sunt crimina.

(a) De Jesu Christo.